



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Militia Sacra || Dvcvm Et Principvm || Brabantiaë,||

Molanus, Johannes

Antverpiae, [1592]

De multis praeclaris victoriis Caroli Magni Imperatoris. Cap. XIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38114

De multis præclaris victoriis CAROLI Magni Imperatoris.

CAP. XIII.

CAROLI Magni & sancti Imperatoris multa encomia, ab Eginharto & aliis fuisse descripta, contraxi in Natalibus Sanctorum Belgij. Quare in præsentiarum suffecit hoc de eo Stephani Abbatis elogium: Gloriosissimus, inquit, Imperator Carolus magnus virtutes paternas ceteris magnificentius auxit, & regio nomini, quod pater eius promeruit, Romani nomen Imperij & dignitatem feliciter adiecit. Ipse est enim cui in die Natalis Domini Leo Papa cum Apostolica benedictione imperij coronam imposuit; & à cuncto Romano populo ter acclamatum est: *Carolo Augusto à Deo coronato, magno & pacifico Imperatori Romanorum, vita & victoria.* Huius nomen & gloria, virtus & victoria, per tanta tempora adhuc quasi recens ore vniuersorum cum tanto studio & admiratione celebratur, vt, si littera sileat, sola fama quasi viuere credatur.

Sed sacra eius bella ex scriptis Eginharti, qui Cancellarius ei fuit, breuiter annotemus.

Omnium bellorum quæ gessit Carolus, primò Aquitanicum suscepit, quod perfecto fine conclusit. Nam Hunoldum, qui post Waifarij mortem Aquitaniam occupare, bellumque pænè peractum redintegrare tentabat,

bat, Aquitania in Vasconiam cedere coëgit. Quem tamen nec ibi consistere passus, Lupo Vasconum Duci per legatos mandat, vt perfugam reddat: id nisi faciat, bello eum se exacturum. Sed Lupus, saniori consilio vsus, non Hunoldum modò reddidit, sed seipsum quoque cum tota cui præerat prouincia Caroli potestati subiecit.

*II. contra
Lōgobardos.*

Ad preces deinde Hadriani Romanæ urbis Episcopi, bellum contra Longobardos suscepit. Nec prius destitit quàm & Desiderium Regem, quem longa obsidione fatigauerat, in deditiōem susciperet, & filium eius Adalgisum, in quem spes omnium inclinata videbatur, non solum regno, sed Italia etiam decedere compelleret, omnia Romanis erepta restitueret, Ruodgausum Foro Iuliani ducatus præfectum, res nouas moliētem, opprimeret, totamque Italiam suæ ditioni subiugaret, subactæque filium Pipinum Regem imponeret.

*III. contra
Saxones.*

Susceptum verò contra Saxones bellum, quod magnis vtrimque animis, maiore tamen Saxonum quàm Francorum damno per continuos triginta tres annos gerebatur, ea conditione proposita atque ab eis suscepta constat esse finitum, vt abiecto dæmonum cultu, & relictis patriis ceremoniis, Christianæ fidei atque religionis sacramenta perciperent, & Francis adunati, vnus cum eis populus efficeretur.

Interea

Interea verò cum assiduo contra Saxones I v. Hispani-
nicū bellum.
bello certaretur, dispositis per congrua con-

finiorum loca præfidiis, Hispaniam quam
maximo poterat belli apparatu aggreditur:
saltuque Pyreneo superato, omnibus quæ
adierat oppidis atque castellis in deditionem
acceptis, saluo atque incolumi exercitu re-
uertitur. Præterquam quòd in ipso Pyreneo-
rum montium iugo Vasconum perfidiam in
reditu parumper eum contigit experiri. In
quo prælio Rutlandus, Britannici littoris præ-
fectus, cum aliis compluribus interfectus est.

Domuit & Brittones qui ad Occidentem v. Contra
Brittones.
in extrema Galliarum parte residentes, dicto
parere recusabant, missa in eos expeditione
qua & obsides dare, & quæ imperarentur fa-
cturos sese polliceri coacti sunt.

Inde cum exercitu Italiam ingressus Be- v. i. Contra
Beneventa-
nos.
neuentanis, ni sese dederent, extrema com-
minatus est. Itaque Aragisus eorum Dux
Carolo filios obsides dedit, seque imperata
facturum pollicitus est. Ita Beneuentanos
contra Romanam Ecclesiam initia maximè
seditionis mouètes, summa celeritate Italiam
ingressus, solo aduentu in ordinem redegit.

Baioaricum deinde bellum, & derepente v. i. Contra
Bauiaros.
exortum & celeri quoque fine completum
est. Excitauerat id superbia simul & socordia
Tassilonis Ducis, hortatu vxoris, quæ filia
Desiderij Regis erat, & patris exsilium mariti
viribus vlcisci posse putabat.

VIII. *Contra
Sclauos.*

His motibus compositis, Sclauis, qui nostra consuetudine Wilsi dicuntur, illatum est bellum, quod Abotritos, qui cum Francis olim fœderati erant, assidua incurfione lacefferēt, nec iuffionibus coërceri poterant. Quos ille vna tantū, & quam per se gesserat, expeditione ita cōtudit ac domuit, vt vltcrius imperata facere minimè renuendum iudicarent.

IX. *Contra
Hunnos.*

Maximum omnium quæ ab illo gesta sunt bellorum, præter Saxonicum, huic deinde bello successit, quod cōtra Auares siue Hunnos susceptum est. Quod ille & animosius quàm cetera, & longè maiori apparatu administravit. Vnam per se in Pannoniam (nam hanc prouinciam ea tum gens incolebat) expeditionem suscipiens, reliquas filio suo Pipino, ac Prouinciarum præfectis & Comitibus etiam atque legatis commisit. Quod cum ab eis strenuissimè gestum fuisset, octauo demum anno completum est. Quot prælia in eo gesta, quantum sanguinis effusum sit, testatur vacua omni habitatore Pannonia, & locus in quo Regia Cagani erat, ita desertus, vt ne vestigium quidem humanæ habitationis in eo appareat. Tota in hoc bello Hunnorum nobilitas periit, tota gloria decedit, omnis pecunia, & congesti à multo tempore thesauri direpti sunt. Neque vllum bellum contra Francos exortum humana potest recordari memoria, quo illi magis ditati & opibus aucti sunt: quippe cum vsque ad
id

id temporis pænè pauperes viderentur. Tantum auri & argenti in regia compertum, tot pretiosa spolia in præliis sublata, vt meritò credi possit, hoc Francos Hunnis iustè eripuisse, quod Hunni priùs aliis gentibus iniustè eripuerant.

Boëmanicum bellum & Liuonicum, quæ x. & xi. Cōtra Boëmos & Liunos. postea exorta sunt, diu durare non potuerūt: quorum vtrumque ductu Caroli iunioris celeri fine conclusum est.

Vltimum contra Nordmannos, qui Dani xii. Cōtra Nordmānos. vocantur, primò piraticam exercentes, deinde maiori classe Gallia atque Germania littora vastantes, bellum susceptum est. Quorum Rex Godefridus, cum Abotritos in suam potestatem redegisset, à proprio satellite interfectus, & suæ vitæ, & belli à se inchoati finem accelerauit.

Quia verò Nordmanni Gallicum littus xiii. Cōtra eosdem & Mauros. atque Germanicū perpetua infestatione vastabant, per omnes portus & ostia fluminum stationes & excubias disposuit. Fecit idem quoque in littore prouinciæ Narbonensis & Septimaniæ: toto etiam Italia littore Romam vsque contra Mauros nuper piraticam exercere aggressos. Atque per hoc nullo graui damno, vel à Mauris Italia, vel Gallia atque Germania à Nordmannis, diebus regni eius affecta est, præterquam quòd Centumcellæ, ciuitas Hetruriæ, proditione à Mauris intercepta atque vastata fuerit, & in Frisia quæ-

quædam insulæ Germanico littori contiguæ à Nordmannis deprædatæ sint.

*21 v. Pro
Pontifice.*

Denique Romani Leonem multis iniuriis affectum, erutis videlicet oculis, linguaque amputata, fidem Regis implorare compulerunt. Idcirco Romam veniens, ad restituendum, qui turbatissimus erat, Ecclesiæ statum, tota ibi hieme permansit. Quo tempore Augusti & Imperatoris nomen accepit.

Epist. 126.

Illud adiiciendum est ex epistolis Æneæ Siluij, quòd Carolus magnus, qui primus post Græcos apud Romanos Imperium suscepit, & fæces Hunnorum, Longobardos, ab infestatione Romani præsulis exterruit, milites omnes qui tanti laboris comites fuerant, in hunc modum feratur honore & libertate donasse: *Ite, inquit, milites mei, vos heroës vocabimini, socij Regum & iudices criminum. Viuite posthac laboris expertes, consulite Regibus & publico nomini, turpia corripite, fauete feminis, iuuate pupillos, consilio circumdate Principes: ab his victum, vestitum, stipendiumque petite. Si quis negauerit, inglorius infamisque esto: si quis iniuriam vobis intulerit, reum se maiestatis agnoscat. Vos autem caueritis, ne tantum decus, tantumque priuilegium, iusto bellorum labore partû, aut ebrietatis, aut scurrilitatis, aut alio quouis vitio maculetis. Ne quod vobis largimur ad gloriam, redundet ad pœnam, quam de vobis sumendam, si forsitan excefferitis,*
nobis

nobis & successoribus nostris Romanorum
Regibus, perpetuò reseruamus.

*De sacra militia Pipini & filij eius Bernardi
Regum Italiae.*

CAP. XIV.

ANNO DCCC. LXXX. Carolus cùm vide-
ret se affiduis Saxoniae & Hispaniae bel-
lis implicitum, Pipinum filium natu maio-
rem, regni socium in Italia constituit. Is ita-
que classe in Corsicam insulam missa, Sarracenos qui ex Hispaniis eam insulam occupa-
rant, inopinato suo aduentu perculosos, inde
se proripere compulit. Vnus Audomarus co-
mes Genuensis imprudenter congressus in
prælio cecidit. Nec multo post deuinctis Ve-
netis Mediolani moritur, vir, si diutius vita
suppeditasset, virtutis magnitudine patriam
autamque gloriam facile æquaturus.

*Pipinus fi-
lius Caroli
magni Ducis
Brabantiae.
Sigonius l. 4.
de regno Ita-
liae.*

Post eius mortem pater conuentu Aquis
habito, contra Sarracenos ex Africa & Hi-
spania conuenientes, Bernardum Pipini fi-
lium, egregiae virtutis adolescentem, cum exer-
citu in Italiam properare iussit, addito Vallo-
ne patruuele alterius Bernardi filio expeditio-
nis socio. Interea Sarraceni, accepto tanti ap-
paratus nuntio territi, relicta Italia, alij in
Corsicam, alij in Sardiniam profugerunt. Ex
quibus qui Sardiniam petiuerunt, propè om-
nes occisi sunt.

De